

VITÆ, ET FAMÆ
PAR PASSUS,

In Argumentum Gloriæ
FAMA PERICLITANTIUM
FAMIGERATISSIMO TUTELARI,
Pragensis olim Ecclesiæ Antistiti Pientif-
simo, Fortissimoque CHRISTI Martyri,

S. JOANNI
NEPOMUCENO

In Sacello Ejusdem Neo-Pragæ
Anno Æræ Sacræ MDCCXX. Mensis Maji
Die XIX.

ANNIVERSARIO PANEGYRICO
Accomodatus

A

FRANCISCO JOACHIMO POMIENA,
BOHEMO PRAGENSI
J. U. CANDIDATO.

ILLUSTRISSIMO,
^{AC}
EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO,

WENCESLAO
KOKORZOWECZ
S. R. I. COMITI DE

KOKORZOWA
S. CÆSAR. REGIÆQVE MAJEST.
CONSILIARIO, CAMERARIO,
REGIO|LOCUMTENENTI,

Nec non

REGIARUM
APPELLATIONUM
PRÆSIDI

IN REGNO BOHEMIÆ,
DOMINO, DOMINO MÆCENATI MEO
GRATIOSISSIMO.



ILLUSTRISSIME,
^{AC}
EXCELLENTISSIME
Sac. Rom. Imp.

COMES
DOMINE, DOMINE
MÆCENAS
GRATIOSISSIME.



AREM VITÆ, &
FAMÆ PASSUM atque
ex hoc à me deductum novum
JOANNEI Elogij caput cui pro solenni
Oratorum more submissimè dedi-
carem (si majoribus uti exemplis
licet) ut olim *M. Terentio Varroni Rempublicam Romanam*
descripturo *Cesar*, (a) primus TU, nec diu circumspi-
cienti occurreras. Quò enim *Curiale* istud argumen-
tum pertinere videretur ? quàm ad *Præsidiij TUI*
Tribunal, Ubi profectò, si alibi uspiam, cum *Vita*,
atque *Fama* tractentur *negotia*, jure quodam *Pagellæ*
istæ

A 2

(a) *A. Gell. apud Trinum in Ind. Autb. & alia.*

istæ TUUM sibi Nomen præfigi postulabant. Id quod ego, ut *generatim* nuper, ità jam *speciatim* aliquo Publici obsequij actu TE devenerari cupidus, ijs haud gravatè concessi. Ad TE igitur fidenter procedunt, nèque tanto Mæcenati placituras se desperant. Non *Eloquentia* quidem fiducia, sed opportunitate, ac præstantiâ *Thematis*, atque de maximis *Virtutibus* TUIS dudum concepta opinione.

Et *Virtutum* quidem, quas dixi, illud in TE est certamen, ut *diversissimas* omnino à *diversis*, TIBI ceu proprias, tribui audiamus. Ità TUAM alij *Religionem*, alij *Iustitiam*, & *Integritatem* prædicant; Illos TUA delectat *Clementia*, hos *Benignitas*; multis *Modestia*, *Prudentia* plurimis in admiratione est. Acceduntque *Indoles Tranquilla*, *Nobilis Genius*, *Honestæ Mens*, *Cor Apertum*, *Pectus Candidum*, *Morum Gravitas*, & (ingentis semper Animi index) *Verborum Parsimonia*, cæteræque *Dotes*, quas Politices Magistri in *Proceribus Togatis* suspiciunt.

Nec parum *Virtutes* condecorat TUAS *scientiarum* apparatus; Quem TU à prima jam inde juventute eò semper studio, conatùque collegisti, ut jam tum moliri videreris *fundamentum* ejus *adsicij*, quod nunc ad coronidem pervenisse cernimus. Nequid locò isto de *amantioribus Musarum disciplinis* attingam, *Philosophicas* certè *Positiones* nondum *Ephebiò Cesareo* egres-

sus

sus in ipsa *Aula*, & *Urbis Viennensis* facie laudabilissimè propugnasti, mox & in *Alma Universitate Pragensi* ea *Juris*, & *Legum Peritia*, Academico etiam ritu *Tentate*, & ad consuetam *Bilancem Expense*, *Approbatæq;* dedisti specimina, ut *par inter Pares* TIBI quæreretur. Equavitque deniceps spem publicam sequens ætas, dum TU in *Inclytum Regiarum Appellationum Tribunal* eventus per complures omnino Annos Magno illi *Dicasterio* tam laudabiliter *assidisti*, ut *presidere* posthac jubereris. Quo in munere *Triurbs* hodiedum TE suspicit; expectantque merentem deinceps *sublimiora Honorum fastigia*.

Nobilitas, decus in alijs *primum*, in TE, etsi summa, penè *postremum* est. Quam cum ipso *Gentis Bohemæ* *Patre*, *Czecho Majores TUI* è *Croatia* (b) (ubi *Arx* verus, *Kokorzovium* nomine hodiedum superest (c) in has oras transtulere; Inde *Belli*, *Pacisque Artibus*, *Fide in Principes*, in *Patriam Charitate*, *Iustitiâ* in omnes novis auxere radijs *Posteris*. Jamque Anno *Sal. 1130*, *Divislaum Kokorzoviadem Sobieslao I. Duci* ab *Intimis* fuisse *Consilij* *Annales* testantur. (d) Cujus hæc etiam duplex *Gloria*: *Ejus* præsertim *ope* modò memoratum optimum *Principem* *Conjuratorum evasisse insidiarum* eisdemque *fecunditate* *Pro-*
geniem

A 3
(b) *Paproc. in Diadocho Bob. L. 3, c. 31. pag. 193. Weing. in Spec. Princ.* (c) *Balb. in Dissert. MS. de Familia Kckerz.* (d) *Vetus Cosma Historia. Hageci Chron. ad An-dictum Fol. 172. v. 6. cit. Papr. p. 193, & 194. 5c. 5c.*

geniem *Nepotum* suorum *Illustrissimam* ad hæc nostra tempora esse *propagatam*. (e) Possem, istud si ageretur Progeniei hujus *Progressus*, *Prærogativas*, *Honores*, *Fortunas*, *initasque* cum summis alijs, quàm *Domesticis*, tam *Exteris Stirpibus* (ut nominatim *Waldecana*, *Schvambergia*, *Kolovrataa*, *Münquicia*, *Fürstenbergia*, *Waldsteinica*, *Czerninia*, *Guttensteinica*, *Lazanskiana*, *Ambergica*, *Schönfeldia*, *Leskovvecia*, *Wrtbaa*, *Stampachia*, *Heussensteinica*, *Clariana*, *Pentzenavia*, *Hamiltona* &c.) (f) *Affinitates*, *Cognitionesque* Stylò uberiore *prosequi*; Sed *lex Dedicatorias* *Scribentium* *adversatur*. Nec verò opus; TE qui novit, *Majorum TUORUM* non ignorat *Historiam*; atque totius *Genealogicæ Arboris* *Magnitudinem* vel ex *Pomo* unico potest *dimetiri*.

Nihil igitur dictis adjiciam ultra. Age TU COMES EXCELLENTISSIME, & TUUM quidem tot *Illustre* adores *Panegyrico* isti, *Meum* verò omnium *Meritorum* defectu *Obscurum Nomen* *Felici Clientum TUORUM* *Albo* *inscribi* *patere*. Quò pacto, & *Musis*, & *Mibi* *confules*, *Musis*, quibus *Nomine TUO* ne *Vari* *gratius*; (g) *Mibi*, cui *optabilius* nihil quàm si *æternum*, TE *agnoscente*, *audiam*.

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Servus, & Cliens Minimus
FRANCISCUS JOACHIMUS POMIENA.

(e) *V. Balb. P. 3. Tabularij Geneal. Tab. L. L. &c.* (f) *V. Balb. in citat. Dissert. & Tabular. Imboss in Notit. Procer. Imper. &c.* (g) *Allusio ad Virgil. Elog. 6, v. 11, & 12.*



PANEGYRICUS.



Tadiodromæ Geminae uno in *Curriculo Aequo Passu* contendunt, AA. Si quos *Agonalia* delectant, adeste, & *incipitis* *Victoriæ certamen* spectate. *VITA*, & *FAMA Aemularum* *Par*, *Justiniani Area*, *Stadium*, *Agonotheta*, *Ratio*, *Prædria*. *Bravium*, suum cuique *Decus*, *Corona*. *Præloquij* vice *Praludium* erit: *Orationis Caput* consistet in *pedibus*. *Cursorium Juris* *Hieroglyphicon* *JOANNEÆ* *Gloriæ* *telam* ordietur.

Vita, è veteri *Sapientum sensu*, (a) *Commune nobis* cum *Superis bonum*, *bonorumq;* cætera omnium *fundamentum*. atque *Author*, *lucis germana*, *nutrix sensuum*, *alumna Aetatum*, *motus amica*, & *ipsa requiei expers irrequies*; *Quam Terrestrialum Gratiarum* omnino *nobilissimam* comprobaturus *Naturæ Conditor*, *Lignum Vitæ*, *Paradisi Terrestris* *implantavit* *meditullio*. (b)

(a) *V. Lang. Anthol. Theat. Beyerl. Bibliot. Lobn &c.* (b) *ut Genes. 2, v. 9.*

ut constaret, eam esse *Centrum*, cui Felicitates cæteræ ancillentur in *Peripheriam*; (c) Hæc ergo *Vitalium Arborum frondibus pulcherrimè cristata*; (d) *Trilicis togæ colore triplici Plantis, animantibus, Genijsq. concolor* in extrema *Curriculi* ora consistit. Mox in *cursum* effusa p̄ lum altero *Terris*, altero *Sideribus* alternatim imminet. Ad hæc è prisco ludorum ritu (e) *Perennis Flamma deportat Lampada*; *Velocitatem* denique additura *cursum à Tempore*, & *Evo pennas* mutatur.

Ad lævam *Aræ* comparet *Fama*. *Fama*, (f) *alterum Mortalium Lumen*, *Temporis Filia*, *Collatanea Æternitatis*, *Soror Gloria*, *Mortis Solatium*, *Æmula Vita*, seu ipsa potius *Civilis Vita*. Cujus candida præconia, nè in terris agens recufavit DEUS; Imò per varias *Regionum Oras*, (g) eâ olim *Auspice* circumferri voluit, ut ceu *Calcar*, & *præmium Virtutis*, *Christianis* etiam *Heroibus* demonstraret ambiendam (b) Hæc verò dum *Æmulæ ostendere terga* (i) incassum satagit, nec *spectare* sustinet. Res utrinque intra conatum. *Latus* identidem *latere* premitur. *Æquales* humeris *Ala*, (k) *Talaria* plantis. In tot *aures, oculos, linguas* distinctam *vestem propellunt venti*. *Dependens Buccina* deseruit in *Clasicum*, & *apparatus omnis currenti* in opem eit.

Cur.

(c) *Oliva in Stromatis* (d) *V. Pier. Masen. Picinel. &c.* (e) *V. Erasm. Roter. in Adag. Cbil. i. Cent. 2. A lag. 38.* (f) *V. Lang: Bryerl. & Lobner. citatos.* (g) *V. varia Evangelij loca v. g. Math. 4. v. 24. & ibi de la Hage &c.* (b) *Mendozae, & aliorum observatio.* (i) *Phrasis Veterum de contendentibus cursu, ut Ovid. &c.* (k) *Famam describit Virgil. 4. An ante med. Ovid. 12. Met. à v. 39. & Claud. in Panig. Prob. propè init. atq. ex bis Picin. & Mas. cit.*

Currunt Heroïdes, an potiùs volant? Nunc *Famam prævertere* creditur *Vita*, nunc *Vitam Fama*. Eunt in *factiones Spectacula: Acclamationibus personant Theatra.* (l) *Vita Epicurei* (m) *Bravium*, contra *Stoici* (n) addicunt *Fama*.

Sed *Justissimus Arbitrator Justinianus* vetus illud inclamat N. L. (o) *VITA*, inquit, (p) *ET FAMA PARI PASSU AMBULANT*. Totus arbitrio adsentitur *Orbis*. *Nutat victoria; fluctuat corona; Nec Vita Æmulam præcurrit, nec Fama; Tam dubio exitu terminantur Agonalia.*

Ego verò vel hoc ex *Agone* in *JOANNIS* Nostri gloriam novum eruo argumentum; atque vel hinc ingens aliquid concipio de *JOANNE*: Quòd *Eum Rei mortalium præstantissimæ* (Si tamen *Fama Res una Mortalium*) cùmque *Vita ipsa ex aquo comparanda patrocinari* voluerat *Divinitas*. Ut toties veluti *Libitina* victor, quoties abactor *Infamia*, à totidem quasi *restitutis Virbijs* (q) dignas *Æsculapiò* caperet *Victimas*, quot *dedecorum atra Stigmata* avertisset à *Clientibus*. Atque hoc præsentis *Dictionis meæ Juridicum Thema* tam *JOANNI*, *Summo* olim in *terris Jurium Consulto*, quàm mihi, *Minimo* *Facultatis ejusdem Candidato*, opinor, conveniet. Vos *titulis omnibus Ornatissimi Auditores*, dicenti *aures, animos, & favores commodate.*

B

Si

(l) *Comment. Virgil. in 4. Æn. & Ovid. in Fab. Atalantz, & Hipp.* (m) *Cic. Diog. Laert. & passim.* (n) *Senec. Diog. Laer. Lips. & passim.* (o) *N. L. hoc est, Non Liqueat V. Barn. Brifs. de Form. Rom.* (p) *L. 8. ff. Spen. quod metus causa L. justa ff. de manumif. & vindict.* (q) *Ovid. lib. 14. Metam. à vers. 497. &c.*

SI à Dijs iplis, & Regibus ad ceteros Rerum quarūcūq; Praesides mea se se diducat Oratio, deprehensuri sumus, Auditores, eò ferè majorem cujusque gloriam, quò dignioris quisque Regni, atque Rei curam, tutelamque obtinuit. Et vetus quidem Polytheorum Theologia (r) Deos Optimos Maximos, Summanos, Majorum Gentium eos tantum devenerabatur, qui Caelo, qui Elementis, qui excelsis Heroum Virtutibus, qui Scientiarum disciplinis praefuissent. Deastrorum ceteram turbam, quæ Focos, Atria, aut Cardines Domorum, quæ Frugum annonam, quæ Pasqua pecorum quæ Rura, quæ steriles Silvas tuebatur, recensabat inter Semi-deos, Minorumq; Gentium Numina appellabat, Jovis Fulmen, Tridentis Neptuni, Clava Herculis, Martis Hasta, Caduceum Mercurij (s) suam à rerum subjectarum pretijs mutuabantur majestatem; Cum Facultatum commissarum vilitas Vulcani Malleo, Scalpro Alcinoi, Panos Pedito, Remo Charontis, Hamo Glauci (t) vix Thura, atque Victimis Minores indulgeret. In humanis etiam plus & est, & censetur, gubernare Regnum, quam Domum, Aulam, quam Villam, Templum, quam Theatrum, Curiam, quam Chorū, Comitiam, quam Pompam, Acie, quam Convivium, (u) Lyceum, quam Scholam, Classē, quam Cymbam, Emporium, quam Tabernam. Verbò in omni Munerum genere prima praedria praescribitur Regula: Nobiliori Objecto praefici, procurare quod praestantius, Illustriorem Clientelam Patrociniò suscepto tutari.

Quan-

(r) De qua videatur Augustin. in Libris praesertim de Civitate Dei Lactant. Macrob. Gyrald. in Hist. Deor. Kircher. (s) Rawis. Offic. L. 3. c. 35. &c. (t) Idem sparsim, & alij passim. (u) Contra Apothegma Æmiliò ejusdem esse aciem, & convivium rectè ordinare. Plut. Æmil. c. 47.

Quantum verò isthinc gloriæ auctarium meritissimo JOANNI? qui pariter cum Vita ambulantis Fama Famigeratissimus Praeses, Tutelaris, Patronus Orbis penè totius elogiò salutatur, imploraturque; Et seu Vita, ac Fama Generis humani duplex sunt Pupilla, alteri praetenditur in Supercilium, seu Thesaurus, (x) in Custodem excubat, seu Astrum (y) assistit in Intelligentiam, ut salutare ejus radios propitio influxu diffundat in Orbem, ac adversus quasque Infamia eclipses, & Calumniarum tenebras praeservet. Si igitur vitam asseruisse Hominis Divinum esse aliquid (z) ferocissimi etiam agnovere Populi, si suo Cliens Hyperaspista seipsum nonnunquam mancipiò cesserat, (a) si è recepto apud Romanos Triumphorum ritu.

Servanti Civem Querna Corona data est. (b)
 Quot Corona, quot Hymni, quot Premia debebuntur Nepomucenò qui Vitae beneficio dignitate æmulum Honesti Nominis decus intaminatum servavit toties, toties diluit inquinatum; ut Anathematis Tbolii deficient, cum vel millesimam Clientum partem, ejus qui auxilium sensere, supputamus. Jam inde Mortales inter cum ageret, Regina Famam Vitae sua tuitus (c) experimentum fecit Praesidij, cui mox à DEO erat admo-
 vendus. Praescripta Sacramento Silentij Lege arcaniores noxas celare didicisse non ex vano arbitrer. Deinceps ingenus infamium omne crevit miseratio. Commovitque imprimis clemen-

B 2

(x) Ita Bonam Famam Sacra, & Profana pagina passim vocat, Elogia dant, Comment. in L. Judith. c. 8. v. 8. (y) plura vite, Famæ verò in cap. 2. Genes. vers. 9. &c. &c. (z) V. Erasm. Adag. Cbil. 1. Cent. Adag. 69. &c. (a) Exemp. vide apud Beyerl. in Theat. Vitæ Hum. sub titulis aliquot &c. (b) Ovid. in Fastis &c. (c) Vitae S. Joan. passim.

mentissimum Antistitem Probris, & Calumnijs onerata Inocentia; quoad tandem cælitus curæ ejus, ac fidei Fama præfeturæ ex asse crederetur. Nec gloriosior equidem Provincia nostro huic Consuli obtingere poterat, nec opportunior Provincia Consul. (d) Partes omnium dignissima dignissimo debebantur. Tali opus erat Atlante in Probrorum præcipitia præponderanti Mundo, Non qualescunque Humeri suppportâssent tantam molem; non qualiscunque Sanctitas (e) tantæ apud DEUM Tutela, & Patrocinio suffecisset.

Sed ego JOANNIS Nostri præcellentiam Juris, atque Legum consensu dum adstruo, nè fortè Calitum alijs injurius videat, non sanè inficior, Ornatissimi Auditores, peculiaribus non nunquam de causis in tenui quantumvis, parvæque Materie Magna Calò Mortalibus depluere Beneficia. Scio adversus populatricem Locustarum insolentiam Burianum, atque Paulum implorari ab Agricolis; Obnoxias Muribus ædes solemnè ex-
rimoniâ reconciliari Nicasio; Erucas à pomarijs Paulini placato Numinè arceri. Non me latet: Venatorum Casses gubernat Eustachius, Penicillos Pictorum Lucas, Quiriacus Cultros Coquorum, Pistorum Mactras Donatus, Dunstanus Fabrorum Incudes, Acus Sartorum Homobonus, Sutorum Subulas Crispinus, & Crispinianus. Vultis plura id genus recensere? Fausti, Felicis, & Fortunati Nomina Talos olim jaciens Aleator invocat; Placere dum studet Auditorio Lyricen Cecilia suppli-
cat

(d) Vide Barnabæ Briffonij opus de Formulis & Verbis solennibus Romanorum (e) Majores gratias Majorum Sanctorum precibus à Deo alligari egregiè demonstrat in Hagiologicis suis Theoph. Raynand. (f) De sequentibus v. eund. Theop; Rayn. Tom. 8. in Titul. Cultus Sanct. Special. &c.

cat; atque Davidi; Fabulam denique daturus Poëta Gelasini, aut Philemonis Soccum veneratur. Laudabiliter verò omnia, atque seu Clientum ipsorum utilitatem, seu Patronorum decus respexerim, aptè profus, ac opportunè. Ajo tamen, & audenter pronuntio: Longè his augustius sapere aliquid Tutela JOANNÆ concreditam Materiem. Quam seu communi Hominum voto, seu Superùm curâ facile dignissimam, si cætera licèt amittas omnia, servare unicè Parœmia admonet. (g) Fama cum Vita par Tetragrammaton, seu voces spectemus, convenit Literis, seu Res, pretijs, Hæc, ut & alterâ, periclitante de summa rerum agitur. Adeò non magis insana œconomia est Formam, ut ille (b) ait, quàm Vitam diligere Famam neglecta: quæ cum Primas concedat Virtuti, Secundas Vita disputat; quâ denique, Virtutem solam si exceperim, desiderabilius nihil vel à Calitibus precari possunt Mortales, vel Mortalibus largiri Calites.

Porro non tantum equalis dignitas, pariâq; pretia Vita, atq; Fama Parem Passum tribuunt, sed hunc longè etiam magis corquant, æqui in utramque Omnium Favores, æqua Studia, æqua Vota, quibus utraq; ab omnibus certatim appetitur. Ac Vitam quidem, rerum jucundissimam (i) nam & terribilissima ipsam (k) Antitesim) omni ex se dulcem atq; dulciorem etiam seipsâ præstat in Pueris Spes, Usus in Viris,

B 3

in Se.

(g) Notus, inquam, versus: Omnia si perdas Famam &c. Flores Poëtar. &c. (b) S. Hieron. ad Calant. Cujus verba sunt: Insanæ Oeconomix est diligere Formam, negligere Famam. eademque penè leguntur in Cic. L. 4. ad Herennium (i) V. Valer. Max. L. 9. Memorabil. c. 13. &c. (k) Allusio ad tritum illud Arist. Terribilium Terribilissima Mors.

in *Senibus Recordatio* (l) Hujus illecebras intelligunt *Bruta*, *Feraq;* diligunt. Quin & *Plantas* ipsas sentire crederes: Adeo & *arbos securim* refugit, & *unguem Flosculus*. Nec minus *Vita* ipsius condimentum, *Fama* quæ *Venerandos Præsules* efficit, *Reges Gloriosos*, *Tremendos Belliducés*, *Nobilitatem Nobilem*, *Vulgus Honoratum*, *Homines Semideos*, *Mortales Immortales*, jure meritò una in animis *Omnium*. (m) Uni huic conduntur *Historia*, ornantur *Trophæa*, inscribuntur *Obelisci*, statuuntur *Pyramides*, *Mausolea* dedicantur (n) Nec rectò tantùm *Virtutis* tramite ad hanc contenditur, sed & per *obliqua scelerum* quæruntur aditus. Non hic *Nomen tuum* audies, *Ephesine Incendiariae*. (o) Mei stratagema *silentij* tuo quadantenus occurret consilio (p) & *sceleris pœna erit*, *scelerum exemplis* non adnumerari.

At vos è disputatis hætenus, O O. AA. *Providentiæ Divinæ* artem advertite, ad *JOANNIS* sui obsequium svavi magnetisimò animos trahentis. Quæ cum Hunc tantùm *Præsulem famigerare* cuperet, *Fama præfecerat*. Hoc est, *Vino* addiderat *Hederam*, quam plerique attendunt *Emptores* (q) *Hamo Escam*, quam tot prensant *Pisciculi*; *Cavea Illicem*, quam genus omne *Volucres* gregatim insequuntur. Uni sibi supplicari à pluribus, ac ulli facilè *Deorum alteri*, gloriatur *Plutus* apud *Lucianum* (r) Abs se enim dispensari *Opes*, quas *Omnes ambiant*. Eadem esse possit *JOANNIS* gloriatio. Nec enim *Fortuna*

(l) *Similia alicubi Seneca, Petrarca, Lipsius, &c.* (m) *V. Val. Max. L. 8. c. 14.* (n) *V. Gen. 11. V. & ibi Scripturistas &* (o) *Heroftratum aut Pblegiam intellige Theop. Val. Max. cit. & A. Gell. Noct. At. L. 2. c. 6. &c.* (p) *Similia & Baldius de vanitate Mundi &c.* (q) *V. passim Adialogaphos* (r) *In Dialog. iteratò;*

tuna optabilior *Famâ*; cui *Vitam* ipsam non paci posthabent. Sic verò *JOANNEUS Clientum exercitus* augetur quotidie, atque *Orbis* penè *totius Populi* sub hæc signa conflunt.

Sola olim *Triurbs NEPOMUCENUM* noverat. Solus *JOANNEOS* Honores submurmurabat *Moldava*; atque *Tutelar*is tanti Clientelâ uno *Sylva Hercynia* sinu claudebatur. Sed mox suo grata *Patrono Fama* piam rependit *Talionem*, & vicinis circum, remotisque populis sonantiore *Buccinâ JOANNEUM* Nomen afflavit. Quod venerabunda aure exceptum repetiere *Peregrini Montes*; *Ufu Extera* condidit *Echò*, atq; hodie dum undequaque personat. Jámque *JOANNEM* celebrant (s) *Pannonies*, deprædicant *Sarmata*, miratur *Madrutum*, novit *Lutetia*, & (contra quam Ei exprobrabat (u) *livor*) non ignorat *Roma*. Pendent per totam latè *Europam JOANNIS* *Tabule*, stant *Colossi*, exsurgunt *Aræ*, visuntur *Sacraria*, adornantur *Templa*; Est quod *Bohemix* invadeat *Orbis*, & *nulla non Orarum* contendat præripere. Nec modò *JOANNIS* *Nostri Trophæum Europæ Tauri* cornua sustinent, sed & circum *Afra Maurorum* Promontoria oberrant *Naves*, quibus *JOANNES* pro *Castore*. (x) *Hymnos JOANNIS* concinit (y) *Cairus-Copticè*, *Sinicè*, *Pequinum*, *Japonicè* *Nangazachum*. Ipsi denique *Orbi Novo NEPOMUCENI* cul-

tu

(s) *Possent hæc probari enumeratis singularum Gentium* *Scriptoribus*, qui *S JOANNIS* cum laude meminerunt; sed *prolixitas* dissuadet. (u) *V. Balb. in Bohemia Sancta Parte 1. §. 59. seu in Vita S. Joan. Nepom. c. 7. propiùs finem, & in eadem Vita Macar. pag. 56. &c.* (x) *Castores Signa, seu Statua, qua in Provis Navium collocari solent.* (y) *Hæc & sequentia Literis, & Testimonijs Fide dignorum Testium stabilita legimus, audivimusq;*

tu nihil antiquius. Nempe *Lux Solem*, JOANNEM *Fama delitescere non finit in tenebris*; Suapte prodit authorem jubare, atque amabilem facit universis. Quanquam Sol orbi melior JOANNES utrumq; und illustrat *Hemi-spherium*. Illustrabitq; etiã formosius, dum novos Ei *Radios* circumfundet *Vaticanum*, & in meliore *Zodiaco* sublimem post tot *Populorum conjurata suffragia proprio etiam consensu* reponet.

En verò novam, Auditores Ornatissimi, *Passus*, quò *Vita*, & *Fama* gradiuntur, secumque mutuò decertant, mensuram: Quòd utriusque *Origo difficilis difficilior Conservatio*, & si lædi, tollive contingat alterutram *difficillima Reparatio* (z) *Fama* certè ad quam hæc *Mortalitas* per tot *studiorum, curarumq; volumina*, per *catenatos labores*, (a) per *esuriem, sitim, vigiliam*, per *enses, venena, flammam*, per tot *pericula, mortèsq;* contendit, vix tandem comparata, quàm levè amittitur? Plurimos momentò depressos vidimus, qui *humò se tollere* per lustra defudarunt.

Miremur? Adeò *tenera res est Fama*; (b) & tot una vijs ad interitum properat. Una *solem tollit nubecula*; Una *formam deformat verruca*; Uno *speculum sordescit halitu*, Uno *nives pereunt tactu*; Unius *chorde sonò vitiatur concentus*; Uno *oculi nictu imprimatur fascinus*; Una *fellis gutta palatum inficitur*. Uno *acus punctò eripitur Vita*; Et uno sæpe *verbulo Fama*. *Vite mille insidias*; mille *Mortis modos* deplorabat olim *Galenus*. (c) Idemque meum de *Fama* lamentum. In quam tot mutuis quotidie odijs arman-tur *Mortales*, ut superesse admirer locum, ubi caput secura

recli-
(z) *Similia alicubi Petrarcha*. (a) *Phrasis est Martialis*: *Succedent curæque, catenatique labores*. (b) *V. Drexelij Phædrentem &c.* (c) *Apud Drexel, in Prodròmo Æternitatis, &c.*

reclinat. *Libere Vulgi voces, Mendaces Momè, (d) Theonina Carmina, Anaxarchorum risus, Libellorum Insaniam tristes facetiæ, Mutarum etiam Statuarum dicacitas, & (si de more seculi barbaro verbis barbaris abuti liceat) Marforiorum, Pasquinorumq; (e) dentati Dialogi, Probra Monumentorum publica, Columnarum atra Symbola, Hostium Dice, Sibla Rabularum, Perjuria Testium, Calculi Judicum, Praconum Tabula, Carnificum Stigmata, totidem pereuntis Fame instrumenta. Sed unus omnia contrà obssistit, Clypeumque præterdit NEPOMUCENUS. Jamque Apologias dicit pro Innocentibus, jam & Calumniantibus extorquet Palidias. Ubi Humana deficiunt auxilia, rem agit Miraculis; nullaque non Arte, nulla non Potentiâ se se Honorantium Honori medicatur.*

Summæ verò *Artis, & Potentiæ opus redintegrare præsentis manu, restituerè postliminiò rem illam, quæ lapsa, aut corrupta medelam vix recipit. Stamen, Bullam, Vitrum cogitate; tum suis cum Symbolis (f) conferte Vitam, atque iterum Vite comparete Famam. Adscripserim singulis: NULLA REPARABILIS ARTE. (g) Exceptionem tamen adjecerim: NISI NEPOMUCENI. Hic unus ille Medicus, qui inflicta Fama Vulnera omnem citra per sanat cicatricem; Unus ille Statuarius, qui informes Honoris Hermas, absque Fissura nota redintegrat; Unus ille Architectus, qui Honesti Rudera Nominis restaurat præter ruina vestigium. Hujus beneficiò Lucretia apparent, quas Vulgi opinio Thaid-*

C

des

(d) *V. Ravis, in Offic. Lib. 5. C. 38. & passim* (e) *V. Philip. Camer. Horas Subcis. Cen. Cap. 66. &c.* (f) *V. Vita Symbola apud Sandeum, Picinel, & citat. Drexel. in Prodr. Æternit. cit.* (g) *Hemistichon Ovidij in Epist. Heroid. Ep. 5. V. 103.*

des creditit. *Sentibus atra Literis* (b) *Infantum frontes* vetus *Innocentia* ebur recipiunt. *Cancellantur Sententia Pratorum*; *Columnarum Infamium* moles eunt in *Trophaea*; *Triumphales* in *Arcus* curvantur *Patibula*; è *Tullianorum* parietinis exsurgunt *Capitolia*; & tota *Calumnia*, *Probrorumque* supellex in apparatus *Gloria* repentè vertitur. Intellexeritis fortasse AA. *Atros* olim *Judicum Calculos* favore *Superum* induisse *Candorem*. (i)

-- *Non fabula rumor*

Ille fuit; (k)

sed in *Thaumaturgi JOANNIS Fastos* (l) sæpius hucusque *relata Historia*. Jam ab *infelicibus Curia Urnis* in se dictam deplorabant *Sententiam Reorum* aliquot (an *Innocentes* potius dixerim, nondum in comperto est) & seu *virgideciam*, seu *exilia*, seu *perennes ergastulorum tenebras*, seu *cruces*, *gladios*, *busta*, seu *rotarum crurifragos orbes* non de *Vita* magis, quam *Fama* solliciti in *ipsis Vita conspicijs* expectabant; Cum, ecce, velut in *Machina DELUM*, (m) *JOANNEM* adesse cognovere *miseri*. *Versa Scenæ imago*; *Lapillisque*. *Omnibus è nigro color est mutatus in album* (n) *Tristi* illi, atque *Lethali Salutarem Literam* (o) substituere *Judices*; & *funesta Licetorum preconia* in *esperato silentio* obmutuere. *Forti*

(b) *Allusio ad Literas, quæ infamium stigmatum loco frontibus reorum inurebantur*. De quibus *V. Iraquel. 5^{c.}* (i) *Ovid. 15. Metam. ipso init. præsertim à V. 41. 5^{c.}* (k) *Idem 10. Metam. V. 561.* (l) *Wolffg. Chabovvsky, 5^{c.} ex eo Balb. in cit. Vita S. Joan. Nepom. cap. 7. propè init. Macar. 5^{c.}* (m) *V. Erasmi Adag. Cbil. 1. Cent. 1. Adag. 68.* (n) *Ovid. cit. L. 15. Metam. V. 46.* (o) *Hoc est Litera C. quæ Condemnationis Nota, Literam A. Notam Absolutionis. V. Cic. Orat. pro Mil. 5^{c.} Franc. Mendoc. Lib. 8. Viridar. Dec. 2. Saturn c. 7. 5^{c.}*

Forti nempe manu labascentem *Famam* sustinuit *JOANNES*, *Severæ Themidis rugas* deterfit, *trepidantes Clientulos* exemit *Carcere*, quosdam & *Infausto Pegmati proximos* in tura retulit; *restituit in integrum*, *Honoribus* adauxit, atque paulò antè *Damnata Capita* illibati *Nominis Lauri* coronavit.

Ite, *JOANNEI Clientes*, & de *Fama Vestra* deinceps *securi in utramq;*, ut ajunt, (p) *aurem conquiescite*. *Excubabit pro vobis Fortis Armatus* (q) *Anaxarchos*, *Theonas*, *Momos* procul à vestris arcebit pomœrijs, *Calumniarum* refringet *licentiam*, *fucos Mendaciorum* diluet, atque *Nominis Vestri* intactum decus ab ævo præsentis in posterum deducet. *Famam rerum æstimatissimam*, *Terre* tamen *Filiam*, (r) & *Sororem Gigantum*, nec verè, nec aptè *Pœtæ* faciunt. (s) *Quæ* eò fortè uno *Gigantum* est *soror*, quò cum his illi *rara consordia*. Sed enim furant *immites Enceladi*, *Calumq;* *terris* misceant; in *Patroni gremio* altum stertet *illa*; conatusque *Frater nos* despiciet, & *vanas sine viribus iras* deridebit.

Quid plura requiritis? *JOANNE* Auspice *Metamorphoses* patriari vidimus, quas *viribus Divinis* attribuunt, vel *Fabulæ*. (u) *Eho*, quò *potentia* assurgit *JOANNIS*! Huc eòdem *Vestra* enitatur *Spes*; nec se se æternum *confusam* sentiet, (x)

Vos verò *adversa JOANNI* *Copia*, si *Famam amatis*, *JOANNEM* *timete*, *Duas Fama* habere fingitur *Buccinas*. (y)

Diversorum operum, (z)

B 2

Ale-

(p) *V. Erasmi. Ch. 1. Cent. 8. Adag. 19. 5^{c.}* (q) *Luc. 11. v. 21. (r) V. Erasmi. Adag. Ch. 1. Cent. 8. Adag. 87. Mendoc. Viridar. 5^{c.}* (s) *V. Franc. Bacon, Lib. de Sap. veter. §. 9.* (t) *V. Ovid. 1. Met. v. 145.* (u) *V. loc. Ovid. cit. L. 15. à V. 39. 5^{c.}* (x) *Pbrasis Sacris Literis, 5^{c.} Scriptoribus frequens.* (y) *Ità eam exhibent Nummi veteres* (z) *Ovid. 1. Met. V. 469.*

Alteram, quã *Amicos Tutelarıs celebrat*; atque rursũ alteram,
quã *ulciscitur Adversarios*. Timete, timete alterius *Clasficum*:
Injucundi profectõ *Oden* argumenti; quæ *peſſima* plerisque
Fata præcinuit.

Ego *Anniversarium JOANNI Vexilligal* hodie persolvo, &
utramq; Fama Tubam in *Anathema* devotus suffigo.

DIXI.



VOCES, FAMA, T VO SEXCENTAS EDE
PATRONO,
A TOT ENIM DIGNVS VOCIBVS IPSE
- CANI.